

.lvi. ITEM ALIA .

/137r/ Oportet nos omnes unanimiter gaudere fratres karissimi . et preclarum
diem obitus sancti martini fideliter uenerari . Sed precipue qui
in occidentalibus mundi partibus sunt fideles christi . qui et doctri
nis eius similiter et exemplis inluminati sunt . quia quodcumque
predicabat uerbis . demonstrabat in operibus . In omni enim
uita sua et conuersatione perfectus . in omni pietate et religio
ne preclarus ; in omni bonitate et benignitate iocundus
erat . ab omnibus laudabilis ; omnibusque amabilis . Uirgo inter
choros uirginum . egregius sacerdotum ; imitator apostolorum . et christi
predicator . quem dominus in gratia apostolica est dignatus eligere ;
sicut de illo scriptum est Hic est martinus electus dei pontifex .
cui dominus post apostolos tantam gratiam conferre dignatus est ;
ut in uirtute trinitatis deifice mereretur fieri trium mortuo
rum suscitator magnificus . Ad exemplum domini tres mor
tuos suscitauit . Multa etiam spiritu prophetiq antequam fie
rent presciebat . Spiritu enim prophetarum plenus erat . et
ideo obitum suum diuina inspiratio longe ante presciuit ;
et quibusdam ex fratribus dissolutionem sui corporis appro
pinquasse reuelauit . Tunc autem causa illi euenit . quia
necesse habuit condatensem diocesis suaue uicum adire . ut
clericis inter se ecclesię illius discordantibus pacem reforma
ret . Et licet finem dierum suorum affuisse non ignorabat .
proficiisci tamen ob istius modi causam non dubitauit ;
memorans euangelicum illud . Beati pacifici . quoniam filii
dei uocabuntur . Uolensque pacem omnibus relinquere ex
emplo domini in die ascensionis sue apostolis dicentis . Pacem
relinquo uobis . pacem meam do uobis . In pace uos dimisi . in
pace uos inueniam . Cumque hac causa cum familiari disci-

/137v/ -pulorum comitatu item perageret . mergos in flumine piscium
multitudinem captantes uidit ; Et dixit eis . Forma hęc ; dę
monum est . Tunc illis potenti uirtute uerborum impera
uit . ut eum gurgitem relinquentes ; arida desertaque appe
terent loca . Statimque mirum in modum omnes in una
turba congregatae . relicto flumine montes siluasque
petierent . Et ammirati sunt qui simul aderant talem in
martino esse uirtutem . ut etiam auibus sicut et dęmonibus
per gratiam dei imperaret . Cumque in illo uico ad quem ierat paucis
diebus commoratus . pace inter clericos ręstituta regredi
ad monasterium cogitaret . uiribus cepit repente desti
tui . Conuocatisque discipulis indicauit . Iam adesse tempus
resoluendi spiritum eius a corpore . Tum uero merore ductus
omnium . uox una plangentium et dicentium fuit . Cur nos
pater deseris . aut cui nos desolatos relinquis? inuident
enim gregem tuum lupi rapaces . et quis nos a rapacitatibus
eorum te recedente defendet? Scimus quidem deside
rare te christum . saluata tibi sunt tua premia nec dilata mi
nuentur . nostri potius miserere . Tum ille commotus eorum
fletibus . lacrimasse perhibetur . conuersus que ad dominum
suplici uoce dixisse . Domine si adhuc populo tuo sum
necessarius . non recusso laborem fiat uoluntas tua . Nimi
rum nesciebat quid potius mallet . quia nec hos dese
rere . nec a christo uolebat diutius separari . Nihil ergo
in uoto suo ponens . omnia haec in dei arbitrio dimisit
dicens . Domine si adhuc me uis manere in corpore non recus
so laborem . et si parcis aetati bonum est mihi . fiat uolun
tas tua . Hos autem de quibus timeo . tu ipse custodi . O uirum
/138r/ ineffabilem nec labore uictum nec morte uincendum . quia nec
mori timuit . nec uiuere recusauit . Sed cum a discipulis rogaretur .
ut stramenta sub se sineret poni . ui febrium per aliquot dies

laborans ; non decet inquit filii non decet christianum . nisi in
cinere et cilicio mori . Ego enim si aliud uobis exemplum relin
quo peccauit . Et cum iterum a presbiteris qui ad eius infir
mitatem uenerant . rogaretur ut corpusculum lateris mutatio
ne releuaret . sinite inquit sinite me fratres . caelum potius respici
quam terram . et in suo itinere iturus ad dominum . meus dirigatur
spiritus . Anno igitur aetatis suae octogesimo primo et episco
batus sui uigesimo sexto . annis maturus et meritis . apud
condatensem diocesis sua uicum feliciter recessit a seculo .
sed inter diuina sacrae predicationis uerba cum angelicis
caelestium hymnorum uocibus . circumstantibus suis discipulis
gratia plenus et sanctitate . sanctam ihesu christo tradidit animam .
Multi enim in eius transitu uocem in caelo audierunt angelo
rum ; sanctum martinum laudantium . Quanta autem multi
tudo hominum ad obitum eius conuenerit ; credi non
potest . Multi enim ex uicinis urbibus et monasteriis
atque uicis cum lacrimis uenerunt . una uoce sanctum martinum
lugentes . O quantus erat luctus omnium . quanta preci
pue lamenta monachorum . et uirginum chorus . quia pium
est gaudere martino . et pium est flere martinum .
Pium enim eum uiuere ; pium erat et mori . quia in uita sua
placuerat deo . Cuius quidem corpus a clericis ciuitatum
et popolorum turbis . cum laudibus et ymnis ad toronicam
portatum est ciuitatem ; ibique cum magna ueneratione sepul
tum est ; assequente eum caeleste turba cum cœlestibus
/138v/ ymnis usque ad locum sepulchri ; in quo postea loco beatus antistes
perpetuus nomine laudibili opere construxit aecclesiam . tanti patro
ni talisque uiri condignam meritis . In qua etiam usque hodie multa
miraculorum signa plurima éque sanitatum uirtutes . consolatio
nes merentium . et pietates letantum . Prestante domino fieri solent .
qui uiuit et regnat in unitate maiestatis diuine . per omnia seculorum .

amen .